



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XLIII. Deus, auribus nostris aud. &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

PSAL. XLIIII. Deus, auribus nostris aud.

Ec.

Carm. gen. 3.

VErusta ad aures fama nostras attulit,
 Serisq; patres posteris
 Stupenda facta tradidere à te Deus
 Patrata priscis sæculis:
 Eliminatis quum profanis gentibus,
 Et incolis prioribus,
 Horum labore fructibusq; perfrui
 Nostris dedisti patribus.
 Certè nec armis lucidis nec uiribus
 Debemus has uictorias:
 Sed nos fauoris aura mollis & tua
 Protexit indulgentia.
 Ergo salutis auctor unice ô Deus
 Ades pijs salutifer.
 Te dante uires, hostium ferociam
 Tam facile profligabimus,
 Taurus minaci quàm iacit cornu pilas,
 Stipulæ uè fauces aridæ.
 Superba regum colla crasso in puluere
 Prostrata conculcabimus.
 Non arcus istam lethifer fiduciam,
 Non mucro sæuus ingerit:
 Tu nos ab hoste subtrahes, sternes solo
 Infensa nobis agmina.
 Non ergo semper iure te laudabimus
 Nostræ salutis uindicem,
 Ac donec orbis astra uoluet ignea,
 Te prosequemur laudibus?

F ij

At nunc relictos obijcis ferocium
Iniuriæ nos hostium,
Nec prodis ante nostra ductor agmina
Qualis solebas antea.
Hosti imminenti terga cogis uertere:
Prædeq; das prementibus.
Pecus ut macello destinata exponimur
Cædentium libidini,
Omnesq; terras barbararum gentium
Errore complemus uago:
Vanum dedisti nos palàm, nec auctio
Te ditiolem reddidit.
Vicina nostris oppida insultant malis,
Cladesq; rident:fabula
Sumus profanis nationibus: caput
Motant,labella exporrigunt.
Oculis oberrat usq; contumelia,
Pudorq; uultus inficit:
Dum uoce acerba iniurias exasperat,
Minasq; toruas adijcit
Hostis proteruus.Obruit tot cladibus,
Tot undequaq; instantibus,
Tamen nec unquam est animus oblitus tui,
Tecumq; pacti fœderis:
Sese nec ullis territus periculis
Auertit aut flexit uia
Recta pes:etsi penitus abiecti interim
Abs te:licet draconibus
Immitioris gentis addicti iugo,
Feramus umbram Ergastuli:
Et seruitutem lugeamus,& necem

Vitæ

Vitæ precemur tædio.

Iniqua meritis si tuis obliuia

Offuderint se mentibus

Nostri, manusq; supplices protendimus

Dijs impiarum gentium,

Id te lateret, abditas qui pectoris

Prorsus latebras inspicias?

Te propter odio ceteris populis sumus,

Et instar ouium cædimur.

In te fauoris pendimus pœnas: tui

Amoris odia nos premunt.

Exurge: similem somnolentiæ moram

Salutis auctor corripe.

Cur ora condis, immemorq; negligis

Tuos malis in ultimis?

Afflictus animus, & malis præsentibus

Lassus, futuris anxius,

Succumbit oneri: strata tabescunt humi

Defecta membra uiribus.

Exsurge genitor, & uigore corporis

Animiq; cassos subleua:

Clemens bonusq; nos ab hostis impij

Immanitate libera.

PSAL. XLV. *Eruclauit cor meum uer-*

bum bonum, &c.

Carm. gen. 1.

COrnicat, exultat trepidis præcordia fibris,

Eruclatq; nouũ grauido de pectore carmẽ:

Certat lingua animum fando, manus æmula

linguam

Scribendo exæquare, meo noua carmina Regi

F. iij